



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

De Immaculato Beatae Virginis Conceptu Carmen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

# IMMACULATO

## BEATÆ VIRGINIS CONCEPTU

### CARMEN.

**C**ONCEPTUS vitii pueros, fractamque draconi  
 Cervicem Stygio, Mariæque insigne trophæum  
 Musa canit. Nunc, Christe, sinus illabere nostros  
 Aspirans: pulsisque caduca mente tenebris,  
 Da fas immortale sequi; fontesque beatos  
 Lucis inaccessibleæ, & totam explorare parentem.  
 Tuque adeo, Dominam supplex quam mundus adorat,  
 Mater ades: seu te stellantis lucida Olympi  
 Regna tenent; seu fors tellus prælata moratur,  
 Et tua præsentis dignaris numine templa:  
 Ingredere, & magnos meditati extollere honores  
 Virgo fave, meritasque in carmina suffice vires.

Jam fatis promissa dies volventibus annis,  
 Quæ superis homines æternæ foedere pacis  
 Jungeret, & cœlo terras sociaret amico,  
 Instabat. Syrias ea didita fama per urbes  
 Corda ciet populorum, & spes ingentibus ægras  
 Suscitât auguriis. Tum demum pectore toto  
 Isacidum genus omne sacris advolvitur aris  
 Dona ferens, geminatque preces & fervida certâ  
 Vota fide. Si te ulla tuæ miseratio gentis,  
 Si quis amor tangit: monstra, pater optime, cœlo  
 Lætificam nubem, sævos quæ mulceat æstus,  
 Optatumque arvis sitientibus irriget imbrem.

*Rorate cœli desu-  
 per. & nubes pluât  
 justum. Isa. 45. 8.*

D ij

Præcipue Joachimus amicum numen adorat :  
 Jessides Joachimus, avi quem plurima regis  
 Virtusque & pietas & mens præfaga futuri  
 Nobilitant. Olli tædis concordibus Anna  
 Nupserat, Hebræas inter pulcherrima nymphas,  
 Quum primus formæ nitor, intactusque juventæ  
 Flos vigit: tunc in senium vergentibus annis  
 Pensabat lapsum insigni gravitate decorem.  
 Illa Dei quondam sedes augustaque templa  
 Dum celebrat cultu assiduo; multasque cubili  
 Insomnis noctes, multos ex ordine soles  
 Fraude pia dapibus furatur sobria parcis:  
 Ex adytis præcul & veli interiore recessu  
 Vox venit, ac veteres portat responsa per auras  
 Expectata diu: Nunc fas tibi munere nostro  
 Spes alere immensas, ô felix prole futura,  
 Et dominam paritura tuam: cum segnior alvum  
 Clauserit, & sobolem jam desperaverit ætas.  
 Ergo quater denas caro cum conjugè menses  
 Tempore ab hoc, totidemq; hyemes Aquilonibus actas  
 Viderat, increpitans cœlum & promissa reposcens  
 Pignora. Non somni, non corporis ulla caduci  
 Cura movet: tota est optatæ in imagine prolis.  
 Et modo debilibus (quæ non sibi somnia solers  
 Fingit amor?) trepidat nequicquam attollere palmis,  
 Appressoque sinu rorem uberis irrigat alvum:  
 Et modo blanditias media inter basia miscet,  
 Et faciles blæso invitat modulamine somnos.  
 Interea exundant torrentia gaudia fluctu  
 Nectareo, solvitque natantia corda voluptas.  
 At pater omnipotens, & patri æquæva propago,  
 Æternusque amor amborum & sociabilis ardor,

Conveniunt : qua fulguribus defensa serenis  
Empyreï convexa alto se culmine tollunt ,  
Atque oculos sacris longe penetralibus arcent.  
Tum Genitor placido primus sic incipit ore :  
Nate , meæ vires , mea vox , mea solus imago ,  
Qui sine matre satus fœcundæ lumine mentis  
Accipis æternos , & jugi nasceris ortu :  
Aspicias humanam tot jam labentibus annis  
Servitii duro curvari pondere gentem ;  
Aspicias , ac sortem mecum miseraris iniquam.  
Et nunc ille ferox Stygii regnator Averni  
Insultat cœlo : spoliisque superbus opimis  
Ventosas jactat voces , arisque minatur  
Et cunctis nos indecores detrudere templis.  
Quem , ni sancta obstant juratæ oracula linguæ ,  
Compedibus vinctum araris Acheronte sub imo  
Protinus insanos cogam dediscere fastus.  
Te vero decus hoc , nate , & victoria poscit :  
Tu domito referes insignem Dite triumphum ;  
Atque hominum spes , ipse viri circumdatus artus ,  
Restitues lapsos , tecumque ad sidera tolles.  
Hæc Pater , atque ingens contra sic Filius orsus :  
Et memini , & pepigisse virum pro crimine vitam  
Non piget , ô genitor , totumque dedisse cruorem  
Amisæ in pretium non aspernabile gentis.  
Nulla mora in nato , fragili quin numen obumbret  
Corpore , & humanum discat tolerare laborem.  
Sed non ante polo terras mutare jacentes  
Fata sinunt , quam regali de sanguine virgo  
Se mundo ferat ; & tecum sortita parentis  
Nomina , me gremio venientem ulnisque receptet.  
Tunc Amor : Hæ nostræ partes , hæc munera sunt.

Protinus ætherea celerem de gente ministrum  
 Evocat, insignem vultu & radiantibus alis:  
 I celer, & volucres, inquit, prævertere ventos,  
 Naturæque meo mandata hæc nomine perfer.  
 Longævam in partus Joachimi suscitet Annam,  
 Atque uterum sterilem fœcundet matre Tonantis.  
 Te vero, te magna manent pro talibus actis  
 Præmia, divinæ cunas servare puellæ,  
 Atque latus cura circum vigilare fideli.  
 Dixerat. Ille polum linquens secat aëra pennis.  
 Ceu quondam elisa fulmen de nube coruscat  
 Noctis in obscuro; magnoque fragore per auras  
 Aut pinum super, aut frondoso vertice quercum  
 Præcipitat: sequitur longo ingens tramite flamma,  
 Et sulco signat cœlum, incenditque tenebras.

Eminet occiduos inter celeberrima fluctus  
 Insula, inaccessæ nomen fecere minores:  
 Quo neque fas nautis laceram subducere classem,  
 Orbe nec avectas peregrino exponere merces.  
 Quippe illam tumido exultans circumsonat unda  
 Gurgite, ventorumque cohors statione perenni  
 Excubat, & vetito procul arcet litore puppes.  
 His Natura locis, sedes ubi triste beatas  
 Invasit scelus, & profugam diti expulit horto,  
 Constitit; aëriique domum sub vertice montis,  
 Gemmis & solido fulgentem adamante locavit.  
 Mille intus Genii fulvo stridentia poste  
 Limina habent; servantque vices operumque laborem,  
 Ordine quisque suo. Liquidæ pars semina flammæ  
 Purgant, contractisque ablutos sordibus ignes  
 Includunt venis filicum: pars grandia terræ  
 Visceribus condunt auri argentique metalla.

His maris imperium & ponti custodia forte  
 Contigit : incumbunt saldos miscere sapes ,  
 Alternisque movere undas , & sistere fluctus.  
 Illos cura manet potior , libranda tonanti  
 Tela Deo , trifidis moliri fulmina massis :  
 Seu quæ criminibus servat , justisque nocentum  
 Suppliciiis ; seu quæ terrens mortalia corda  
 Mollibus interdum flammis innoxia jactat.

Ipsa autem residens thalamo & penetralibus imis ,  
 Telluri pallam gemmis auroque rigentem  
 Insignibat acu ; filisque undantia fila  
 Intendens , miraque coloribus arte colores ,  
 Mollia nativis animabat texta figuris.  
 Stabat Hyems canos glacie concreta capillos ,  
 Et subter Boreas Corique ad fræna jugales :  
 Pone ingens agmen : rigor , & penetrabile frigus ,  
 Atque gelu , atque urens grando , tristesque pruinae ,  
 Nubilaque & nimbi , mistique fragoribus imbres.  
 Quaque tulere pedem , letali squalida moerent  
 Arva situ , moeret decussis frondibus arbor ,  
 Attonitique hærent amissis fluctibus amnes.  
 Parte alia horrenti Phœbum sub nube latentem  
 Pinxerat , & tristi cœlum velayerat umbra.  
 Alba nives simulant subtemina , grando lapillis  
 Fingitur , & teretes imitatur bacca pruinas.

Talia dum docto properat Natura labore :  
 Aligerum cernit manifesta in luce micantem ,  
 Excussitque sinu calathos & Dædala texta.  
 Tum procul : O summi imperio dignate parentis ,  
 Quæ te causa humilis famulæ sub limina sistit ?  
 Tantum effata , pedesque solo se abjecit ad imos.  
 Ille manu facilis levat , & sic excipit ore :

Festum Conceptionis in octavum Decembris diem cadit.

O rerum foecunda parens, quæ semina mundi  
 Arcanis alis augmentis, & numine servas:  
 Haecenus in tenui lusit labor, aurea munus  
 Sint licet astra tuum, terræque, & coerulea regna:  
 Nunc opibus totis usus, nunc arte magistra.  
 Nosti queis superos votis, quibus Anna fatiget  
 Questibus, optatamque extundat ab æthere prolem.  
 His Genitor lacrymis sanctoque evictus amore  
 Annuit omnipotens: & inertis dedecus alvi  
 Promissæ exortu demum pensare puellæ  
 Cogitat. Huic tanta pro majestate creari  
 Os jubet, ac corpus formis cœlestibus æquum.  
 Quare age, rumpe moras, pulchroque incumbere labori  
 Fidens: namque aderit cœptis ingentibus auctor,  
 Atque rudem ducet non sueta in munera dextram.  
 Sic ait, & paribus cœlo se rettulit alis.

At natura Dei gaudens parere parabat  
 Imperio. Accersit natas: stant ordine centum  
 Virgineo Nymphæ vultuque habituque sorores,  
 Vestibus in nodum vinctis, nudæque lacertos.  
 Pars phialis succos & lenta coagula portat:  
 Semina pars vitæ, roresque caloribus aptos  
 Foetificis. Ipsa arcano scrutata recessu  
 Urnam effert auro squalentem: ubi rapta sepulchris  
 Heroum spolia, & tenues sine corpore servat  
 Exuvias. Latet hic quondam defusus in artus  
 Sanguis, Adame, tuos, & justæ in pectora prolis:  
 Quique acrem per jussa haud mollia duxerat ardor  
 Thariaden, fortemque Isaacum occumbere ad aras  
 Addicente Deo, luctatoremque Jacobum,  
 Et magnam Josephi animam, & præstantia corda  
 Amramidum. Pugnax Nunni genus intus, & ingens  
 Manoides,

Manoides , neutrique puer Jessæius impar.  
Nunc quoque bella fremunt , indignanturque teneri.  
Hic etiam Isacidum nullo discrimine matrum  
Illecebras , castæque insignia lumina formæ  
Condiderat : quibus illæ animos & ferrea regum  
Pectora demeruere suis , pacemque tulere.  
Ergo opibus gaudens tantis & munere mater  
Regna beata petit semper florentis Idumes ,  
Seque infert Annæ thalamis Natura per umbras.  
Quam procul ut vitreo sensit Jordanis ab antro  
Advenisse , suis placidus caput extulit undis ;  
Et virides Libanus subrexit vertice cedros.

Nec minus auratas sedes stellantis Olympi  
Linqvit Amor , magna Charitum stipante caterva ,  
Os habitumque Deo similis : quem mutua jungit  
Oscula dum Nato Pater , æternisque vicissim  
Suspirant flammis ambo & complexibus hærent  
Unanimes , vitæ lætum immortalis honore ,  
Rerumque imperio & communi numine donant.  
Illum cura movet tanti justissima partus :  
Ah ! ne Tartaræ virgo fuligine tabis  
Affletur , patriumque trahat cum sanguine virus.  
Nam meminit furvi ut quondam dominator Averni ,  
Invidiâ diroque nocendi accensus amore ,  
Edenis furtim felici irrepsit horto :  
Læti ubi per virides lucos & florea regna  
Perpetuo vitam ducebant vere parentes.  
Ut colubri in formam subito se vertit & ora  
Lubricus : utque levi gliscens per gramina lapsu  
Arboris incubuit ramis , quæ sola beato  
Frondebat saltu radiantibus aurea pomis.  
Hæc sedenim carpisse nefas , & frangere morsu.

E



Si facerent , fontes mors dura manebat. At ille  
 Artibus instructus Stygiis & fraude maligna ,  
 Uxorem aggreditur ; fasque immortale recondi  
 Sensusque æthereos fructu mentitur in illo ;  
 Et varios fallax simulando prædicat usus.  
 Utque dolos cursu sensit procedere læto  
 Improbus , ore suo decerpit ab arbore pomum ,  
 Tartaream inspirans animam , cæcisque venena  
 Morsibus insinuans. Simul Evæ porrigit , Evæ  
 Jam dubiæ , jam fatali dulcedine victæ :  
 Urget enim furor , & promissæ gloria fortis.  
 Illa Dei jussus , propriamque oblita salutem  
 Dente inhians avido malum lacrymabile figit ,  
 Et trepidum firmat repetito crimine pectus.  
 Nec satis est periisse , virum ni perdita conjux  
 Advocet in partem sceleris , societque periclo.  
 Immemor heu ! victusque animi exitiabile munus  
 Accipit , infandoque uxorius appetit ore.  
 Nec mora continuo grassatur in intima pestis ,  
 Perque artus furiata luem , perque ossa venenum  
 Dissipat , & crudos acuit sub corde dolores.  
 Inde mali labes , tristisque exordia vitæ :  
 Illa nascentes gentile ab origine crimen  
 Ducimus , & patris luimus commissa nepotes.

Hæc adeo metuens properabat , opemque ferebat  
 Naturæ divinus Amor , molimina contra  
 Orcique insidias. Jamque Annæ viscera miris  
 Foeta videt tumuisse modis : jam suspicit artus  
 Hospitio dignos & majestate Tonantis ,  
 Oraque , cœlestesque genas , & nocte sub ipsa  
 Formosos oculos. Nec nullum in corpore pulchro  
 Esse suum patitur munus. Stat lampada quassans

Sidream , & puro circum omnia ducitur igne  
Membra Deus : ne qua antiqui contage veneni  
Insideat patrio concreta in sanguine labes.

Quale metallifera in Cuba , vel montibus altis  
Peruvia , stridens coquitur fornacibus aurum ,  
Versaturque focus : dum protinus omne liquendo  
Exudet vitium , spumamque ejectet inertem.  
Virgineum haud aliter cœlesti lampade corpus  
Gaudet Amor lustrare , novosque adjungere honores.

At summus labor , & tanti præstantior una  
Pars operis restabat adhuc , includere in artus  
Regnatricem animam ; multis è millibus olim  
Quam rerum legit fator , æternoque paravit  
Consilio gratæ fruituram munere lucis.

Jamque aderat tempus : Nunc nunc succurrite Divæ  
O mea turba , inquit : ferte arma , opponite cunctas  
Agminibus Stygiis vires. Tu Gratia fido  
Conde sinu venientem , & circumfundere flammis.  
Vix ea fatus erat , cum sacro effusus ab ore  
Spiritus insinuat membris : hunc ordine longo  
Prosequitur Charitum chorus omnis , & aurea pubes  
Virtutum , donisque suis prævertere certant.

Interea de more toro languentia membra  
Corripiens , tacitæ per opaca silentia noctis  
Fallebat precibus somnos & carmine multo  
Jessides. Simul Anna oculos furata sopori  
Fata revolvebat tardæ promissa senectæ.

Quum Deus his subito mentes præsentior implet :  
Mortalique hebetes oculos caligine solvens ,  
Integros mira sub imagine Virginis ortus ,  
Insignemque aperit devicto Acheronte triumphum.  
Ac primus senior tantos sub pectore motus

*Egreditur virga  
de radice Jesse, &  
flos de radice ejus  
ascendet, & re-  
quiescet super eum  
spiritus Domini.  
Isa, II, I.*

Non patiens, Annam his compellat vocibus ultro:  
Unde mihi, ô conjux, trepidam pulcherrima mentem  
Visa tenent? sterilis regali semine venter  
Impleri, lætumque videtur fundere germen:  
Hinc virgam enodi paulatim assurgere trunco,  
Quæ pinus premat & montanas ardua cedros.  
Illa autem pulchrum ramis, mirabile visu,  
Induitur florem, divinos vertice sacro  
Cui Deus ipse super recubans dat spargere odores,  
O Virga Isaciæ stirpis decus, aurea terræ  
Progenies, & amor cœli, spes sera parentum,  
Exorere, & ramis orbem felicibus ambi:  
Optatumque diu, votis & mille petitum  
Redde solo munus. Cupientem dicere plura  
Anna vetat, mediis sic interfata querelis:  
Heu! quianam tanto fremuerunt Tartara motu,  
Quidve draco vesane paras? squalentia tabo  
Colla, & terribiles immani gutture rictus  
Aspicio: stant sanguineis lita lumina guttis,  
Sulphurei absistunt patulis è naribus ignes  
Cum sonitu, linguam vibrant rabida ora trifulcam,  
Ah! fuge pestiferos dentes, fuge triste venenum,  
Letalemque animam, sanguis meus. Eia draconis  
Terga premit, teneraque elidit guttura planta  
Jactantis spumas nequicquam & sibila, Virgo.  
Sic mira Deus attonitos ambage parentes  
Ducebat, nota monstrans sub imagine prolem.  
Ecce autem chorus aligerùm delapsus Olympo  
Exultat citharis, & festa voce per umbras  
Victricem celebrat Divam: Tu lumine puro  
Auroræ in morem surgis: tu noctis opacæ  
Nubila per, mediasque nites ceu luna tenebras:

*Ipsa conteret caput  
tuum, Genes, 3, 15.*

*Qua est ista qua  
progreduitur quasi  
Aurora consurgens,  
pulchra ut Luna,  
electa ut Sol, ter-*

*ribilis ut castrorum  
acies ordinata ?  
Cant. 6. 9.*

Ut nunquam exiit lucem capitisque decentes  
Sol radios : ut fulmineis exercitus armis  
Infert se campo terroremque incutit hosti :  
Sic te , Virgo , Dei donis & numine cinctam  
Infernæ tremuere acies ; ipsoque sub ortu  
Ultricem Stygii dominator sensit Averni.

Talia cantantes memorant : cantantibus illis  
Jessides una cum conjugè numen adorat ,  
Inque vicem meritas solvunt pro munere laudes.

## ARA DRUIDUM

VIRGINI PARITURÆ SACRA.

## CARMEN.

**V**IRGO decus cœli , gentis spes altera nostræ ,  
Quam legit pater omnipotens magis omnibus  
unam

Magnorum adjutricem operum ; pactique sequestram  
Fœderis esse dedit mortalibus : accipe , Mater ,  
Quem tibi nos tua progenies sacramus honorem ,  
Nec vero te pœniteat cantantibus æquas  
Indulsiſſe aures famulis : tu carminis hujus  
Scilicet argumentum ingens : tibi nostra laborat  
Musa uni ; in te eadem cursu defuncta quiescet ,

Consilii interpres sacri pacisque futuræ ,  
Bethlemias cœlo Gabriel allapsus in ædes  
Cunctantem Divam , & sanctæ violare timentem  
Dona pudicitiae sermone ambibat amico ,  
Omnia tuta docens , referansque oracula vatum ;